





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.



*Disputatio Ordinaria ex Jur. Nat. & Gent.*

DE

# JURE GENERATIONIS,

Quam

*AUSPICE NUMINE,*

PRÆSIDE

## HENRICO COCCEJO,

U.J.D. & Jur. Gent. Profefs.

Ordin.

Proponit

GEORGIUS HARTZINCK,  
MEURSENSIS.

*Ad Diem 2. Decembr.*



HEIDELBERGÆ,

*Typis* SAMUELIS AMMONII, *ACAD. Typogr.*

ANNO M DC LXXVI.





**P**atriam in liberos potestatem nemo non agnoscit, causam  
 anxie omnes quaerunt. Communiter pro argumento  
 afferunt generationem, filiosque in potestate patrum hoc  
 ipso esse contendunt, quia ab iis generati sunt; quod se-  
 quitur Grotius *l. 2. c. 5. §. 1.* & commendat oratoris more Boeclerus *ad*  
*Grot. d. l.* idem defendit Lud. Praschius *disf. de bone cive §. 7.* Affertur argu-  
 mentatio Quintil. *in declam. 13. An fieri potest inquit, ut quod nascitur meum*  
*fit, quod generat, alienum?* & Philonis sententia, *parentes gignendo De-*  
*um referre.*

§. 2. Merito tamen refutat hoc Hobbesius *de Cive, c. 9. §. 1.* & ne-  
 gat, meum esse, quod à me genitum est, quia nulla connexio est inter  
 haec duo, *generare & dominium adquirere*: nec sanè ulla in iis apparet ra-  
 tio, quò invicem convenient, & alterum de altero deduci possit. Fefel-  
 lit eos observatio legum, quibus quod ex re mea nascitur, meum esse  
 dicitur *l. 49. §. 1. de Rei vind. l. 12. §. 3. Ad exhib.* Ejus enim juris causa non  
 est ipsa generatio, sed rerum istarum natura, quæ ad utilitatem homi-  
 num sunt conditæ, indeque homo, cujus quælibet res est, eam uti, seu, quod  
 idem, quicquid utilitatis inde nascitur, percipere potest: & de iis rebus  
 quoque loquitur Quintil. *d. l.* Quid hoc ad generationem hominis,  
 quem non, ut cæteras res, hominum causà nasci, Icti quoque Romani  
 satis perspexere.

§. 3. Ipse verò Hobbesius aliam, sed leviolem rationem substituit:  
 quòd dominium infantis ejus sit, qui primus in potestate sua eum ha-  
 bet, indeque pessimè concludit, matrem originaliter esse dominam, &  
 partum, ut in cæteris, ventrem sequi. *d. c. 9. §. 3. 4. & Leviath. cap. 20.*  
 Multa hinc sunt erronea supposita. 1. Falsum, quòd occupatio, quò res  
 in alicujus potestatem redigitur, uti aliarum rerum, ita hominis quoque  
 acquirendi modus sit legitimus; reliquæ enim res ideo natæ sunt, ut oc-  
 cupentur ab hominibus, homo non est. 2. Falsum, quòd hinc talis  
 occupatio fiat à matre, ubi nec res nullius, nec occupabilis est, nec ani-  
 mus occupandi seu possidendi. 3. Falsum, quòd, hoc posito, potius  
 videretur in potestate matris, quàm patris; agimus enim de filio, qui  
 ex nuptiis, quæ cohabitationem conjugum inferunt. *§. 1. Patr. pot.* na-  
 scitur; in illa autem cohabitatione omnia sunt in custodia & potesta-  
 te patris. non matris; *ut super. dissert. ostendimus.* 4. Cùm talem in-  
 telligat occupationem, uti victor victum in potestatem redigit *d. c. 9. §. 3.*  
 nemo hominum esset liber, sed omnes in dominio matris. 5. Et, quid  
 absurdius, quàm, cùm ipse sapiùs statuatur, homines naturaliter in liber-  
 tate nasci, per eandem nativitatem eos occupatos & in dominium ma-  
 tris



tris redactos statuere? Equidem extra nuptias placuit, partum sequi ventrem, non quasi is in patris potestate non nascatur, (nam ex ratione juris & hic erit in potestate patris. *infr.* §. 9.) Sed pater nescitur, adeoque jus suum ipsi certò tribui nequit.

§. 4. Alii patrem dominum filii statuunt, quia is ex corpore, quod in dominio patris est, nascitur. Hoc potius comparationem quam rationem esse ait *Bæcl. d. l.* Sed quisque ejus sit sensus, nihil absurdius quam homines & uxores considerare, sicuti res in patrimonio nostro.

§. 5. Alii ideo, quia filius est pars substantiæ parentum, & portio viscerum. Sed hoc verum, quamdiu iis conjunctus est; secus ubi per nativitatem ab iis separatus est; *l. i. §. i. de Inspec. ventr.* Nondum ergo hinc apparet, unde patria potestas oriatur, postquam seorsim novus homo extitit, cui eadem jura, quæ patri, competunt.

§. 6. Sunt, qui filium ad patrem jure soli referunt, & proinde, cum semen cedat solo, jus matris potius statuere necesse habent. Subtilis est illa *Jcti Philosophia in l. 25. pr. de Usur.* ubi jus seminis & soli comparat, & hoc præfert: *Omnia, inquit, fructus non jure seminis, sed jure soli percipiuntur. d. l. 25. pr. & mox: In fructibus magis corporis jus, ex quo percipiuntur, quam seminis, ex quo oriuntur, aspicitur. d. l. 25. §. 1.* Cui consequens esset, ut mater in jure filii præferretur.

§. 7. Cæterum errat, qui hoc, aut similibus accessionum modis dominium adquiri putat: contrarium enim ex ipso jure civili patet, quod ei, qui mala fide in alieno ædificavit, ædificium tollere concedit. *l. 37. de R. V.* quod fieri non posset, nisi id ipsius adhuc esset. Nec verò quòd res mea alteri adhæreat vel mixta sit, ideo mihi illa auferri, & alterius lucro cedere debet. Sed cum separari iterum sine dispendio saltem meo nequeat, adeoque neutri sua portio salva esse possit, hinc necessariò alterutri tota adjudicanda est sub lege refundendi precii, adeoque per modum emptionis & adjudicationis. Sed cui? Jure naturæ, ei cujus magis intersit, cui minùs imputari possit, &c. Sed jure civili certa regula præscripta est, ut res minor cedat potiori, & totum quasi in unum corpus coactum formam hujus sequatur: quæ ratione semen quoque solo cedit.

§. 8. Nihil est hoc ad partum, qui nec precio, nec naturaliter ex jure soli (utpote quod civile est, *per. §. 7.*) æstimari, nec ut fructus adquiri potest.

§. 9. His ergo rejectis opinionibus, patriam potestatem duplici fundamento demonstramus. Primum tale est: 1. Homo omnium actionum suarum dominus est, idque ratione mentis seu voluntatis



suæ; quia hujus imperio omnia corporis membra tanquam instrumenta subsunt, ita ut id agant, quod voluntas imperat; unde ea demum est actio nostra, quæ à nobis, id est, à mente seu voluntate nostra procedit; in eoq; consistit dominium in nostra membra eorumq; actiones, quod à nostra voluntate & arbitrio exercentur; reliquæ actiones, quæ inde non procedunt, non sunt nostræ, sed ejus, qui eas q. movet.

2. Igitur & tota illa actio, quæ parentes per consuetudinem conjugalem suorumq; viscerum partes miscent ad propagandam speciem sibi similem, est in ipsorum potestate, & totius hujus actionis illi sunt domini. *per n. 1.*

3. Tota autem illa actio non terminatur generatione, sed partus ad suam maturitatem perductione; et si enim infans homo sit, & rationis potestate, quæ ipsius quoq; actiones ipsi subsunt, præditus, cum tamen ille ratione uti non possit, adeoq; nondum existat, species gignentibus similis, nedum quæ eandem speciem continuare possit, hinc nondum actio propagandæ speciei humanæ ad finem perducta est.

4. Sequitur ergo quod tota hæc actio cum ipso partu perinde adhuc sit in potestate parentum, ac si ab iis separatus nondum esset. *per n. 2. 3.* uti effectus tamdiu videtur adhuc esse in suis causis, donec ipse per se, seu extra suas causas plenè existat. Tunc E. demum homo verè propagatus & extra suas causas existere videtur, quando species gignentibus similis existit, id est, quæ, uti propagantes, propria mente regi, & eandem speciem continuare potest; quod naturaliter fit pubertate, quæ homo generandi, & sic familiam propriam constituendi regendiq; facultatem consequitur.

§. 10. Alterum fundamentum est, quia natura cum generatione individuo nexu educationem conjunxit, eumq; in finem, & ne ea separatur, generanti vehementissimos motus ad educandum injunxit, uti in brutis omnibus evidentissimè apparet. Ex instituto E. naturæ genitum est in potestate gignentis perinde ac si adhuc cum ipso conjunctum esset; quia, ut dictum educatio ex instituto naturæ nihil aliud est, quàm generationis quasi continuatio; *ad d. §. 9. n. 3.*

§. 11. Patet Ergo, partum esse in utriusq; parentis potestate, sed inæqualiter, ita ut præcipuæ sint partes patris, tanquam in ipsam quoq; uxorem imperium æconomicum habentis; quod longius exequi jam nec instituti nec chartæ modus permittit.

COROLLARIA.

1. Datur sua natura malum quod ne quidem a Deo permitti potest
2. Non dantur certæ ac indubitæ Virginitatis notæ.
3. Mutuum est alienatio. *non*
4. Virtus non consistit in medio.
5. Possessio non recte dicitur jus in re.



Kd 2246

ULB Halle  
002 800 578

3



5b.

mit V 17











19.

*Nat. & Gent.*

# GENE- NIS,

MINE,

## COCCEJO,

ent. Profefs.

RTZINCK,  
SIS.

decembr.

RGÆ,

II, *ACAD. Typogr.*  
XXVI.